institutionem inuicem se sociasse cognoscit. Si quis ille talis ad ecclesiam confugiat
querens consilium salutis quid illi dicet ecclesia. Audi et intellege quod illi dicere debet ec-
clesia. Si dixerit ei ecclesia in secreto quam publice duxit dimittat et ad priorem redeat
quam in se constat propria testificatione suam uxorem duxisse confitetur. et si hoc receperit testimo-
nium eius. omnes deinceps qui odio habebunt uxorem fingent et mentientur se prius aliam
duxisse. ut ab his quas adduxerint separentur et tale matrimonium nichil in se stabili-
tatis habebit sed passim unusquisque pro uoluntate unicuique dissoluetur. Numquid ecclesia aliud dicere
illi debet. quam ut matrimonio quod eius attestatione firmatum est fidem seruet. Sed dicis. Cer-
ta illi est pena sua consilium salutis querit. Nam utrobique periculum uidet et quid potius eli-
gat non inuenit. Si manet contra conscientiam suam facit si discedit contra obedientiam facit. Numquid
itaque querit si discedere liceat. Sed si non discedit utrum permanere expediat contra conscientiam ex-
positum et consilium salutis querit. Quid illi dicet ecclesia. homini sentienti peccatum et querenti
consilium. Si dixerit illi ut maneat postquam reuelauit peccatum hoc est dicere quantum uidetur
ut maneat in peccato. Si uero non hoc sed illud dicere potest quantum uidetur homini tali uia salutis
monstrari non potest. Sed hic rursum multum a fide christiana abhorret iudicare aliquem tale
esse posse sine penitentia in quo licet sit periculo saluum esse. Multa sunt que ad hunc modum
contingere potuissent. Alius dicit se cum sorore aut cum matre uxoris sue rem ha-
buisse. Alius uxorem se prius aliam duxisse fatetur. et multa alia horrenda que mi-
seria hominum uel falsa confingit uel uere committit. Certum est quam ista sunt horrenda
ab omnibus desideriis suis malis excecatis ut faciunt que non oportet et sic tanta hec
mala uenire consilium admittant. Non deus qui legem dedit. gratiam inuentam preferet.
per legem enim non iustificabitur in conspectu eius omnis caro. Sic olim maledictum legis
omnes qui sub lege erant premebat. non erat qui eiusdem potuisset maledictionem.
quia non erat qui cauere posset preuaricationem donec ipse legis lator ueniens ma-
ledictionem abstulit per gratiam. et ne semper maledictio et preuaricatio regna-
rent per eandem gratiam ipsam et legem mutauit. et tamen non numquam cum hoc peccato
suo et malicia urgente in necessitatem peccandi uenit. ut preter legem por-
tare non maledictionem preuaricationis incurrat. mutat illi deus per misericordiam
legem et donat penitentiam ut saluus esse possit. quia utique non saluaretur si per-